meas, meâ interesse putaverint, consilio certè vel assensu nec meo nec meorum. Quas verò nunc prodimus ipsa materiæ dignitas mansura est prioribus uti assuantur. nec persuasum tamen, nisi prius id fieri è re nostrâ judicaveris, cui uni omnem super literis meis authoritatem non nuper detuli, officia verò atque amicitiam perennem defero in sempiternum. Vale Vir Maxime et me ama. Londini die natali Servatoris nostri Jesu Christi 1622.

C. Hugenius.

D. Heinsio.

Nobilissime Domine. (57)

Testabitur qui has traditurus est, nondum adeo me publici negotii curam profligasse, ut in privatum aliquod vel intueri valeam, qui eorum omnium, quæ totos quatuordecim menses cum difficillimâ gentium tractavimus, in ordinem atque Synopsim redigendorum provinciam nactus sum. Unde nunc paucissimas horas superesse quas literis impendamus aut studiis per te conjicies. Certè Asinum tuum, cujus perlegendi desiderio mox conflagratum it animus meus, tantum à limine salutavi; atque adeo interim eruditissimæ festivitatis dulcedine affectas aures habeo, ut vigilias modo nocturnas uni elegantissimo opusculorum destinatum iverim. super quo tamen frustrà judicium nostrum exploraverit quicumque te autorem addiderit. Censorem, si fas est, alii hic agant, quos magis ille æquus amarit; nos sicum tantillo sublimioris hujusmodi litteraturæ gustu, suspicere ista infirmè et procul admirari valemus, præclarum verò facinus et neutiquam de vulgo præstare videmur, quin vel hoc solo merito minus multò ad illum accedere, quem (si tantum liceat addere de nostro) doctissimè jucundissimè, atque utilissimè commendasse te edixerim. Quod opusculi Vernaculi è Britannia missionem gratam habueris, abundè est quod gratuler mihi, erit autem amplius, si non emendicandæ laudis, sed officiosissimi erga te studii testandi gratiâ affectum censere volueris qualecumque est illud quod

11 12

quod nimium tercle prolixâ gratia=
rum vice remuneratum iuisti. Addidi Elegiam Academiæ Oxoniensi ante menses aliquot dicatam, quam humanissimi ibidem literatores, viri sanè eximij atque eruditi, salutationibus suis ama=
bilis multifariis candidè exceperunt, non con=
tenti typis Academicis cohonestasse insulsissimum carmen, cujus ego exemplar unum manu exaratum prorsus aliud agens, tacitè cum interioribus aliquot amicis communi caveram. Tu autem vir Maxime ride hic, ut meritum est, et cum ad alteram editionem Asini tui accesseris, inter secundas curas cave eorum mentionem neglexeris, qui ad Rem utcumque publicam admoti, nequeunt adeo Animal tuum dissimulare, ut ineptire saltem pro tempore desuescant. Me quidem hoc pacto vel cædendo devinxeris, qui præter amicæ reprehensionis fructum, stigmatis Heinsiani gloriam in lucro positurus sum. Vale et me ama. Hagæ Postridie Calendarum Martii CIƆIƆCXXIII

emo morem et gero hactenus
vectos, profecto verte
Ille fecit: de
harum noctium
maxime

T: D: addictissimus.

C. Hugenius.

J. Catzio.

Amplissime Domine. (58)

Quod virtutum tuarum ~~fulgor~~ insignis adeo animum oculosque Batavo=
rum meorum affecerit, uti ad præcipui muneris dignitatem evocandum ultro decreverint, est quod illis, quod tibi, est verò maximè quod nobis gratuler, qui nimirum tanto in posterum propiore viciniâ tuâ gavisum imus. præsentiâ autem atque gratissimo conspectu longè quam ante frequentiori. Interim de illâ nugarum mearum editione reliquâ, cui obstetricem manum adjicere dignatus es, quid nunc fieret, ambigere coepi: quandoquidem, si illarum quicquid est Middelburgum misero, patrocinio simul tuo et curâ destitui necesse est, sine quorum alterutro, vel utroque, Typographos ægrè mihi persuasum iri non immeritò dubitaverim, qui quam antehac operam præstiterant, magis utique authoritati consilij tui, quam operum meorum merito imputavi. Itaque quid faciendum censeas, rogatum nunc venio, cum, ad me quod attinet, profligatis nunc tandem eorum negotiorum reliquiis, quæ unâ cum gente tot menses gessimus totus

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 10v-11r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/201